

Hermann Jacob Lasius

Historiae Exiliorum, In Quae Academia Rostochiensis Saeculo XV. Missa Pulsaque Fuit ...


**[1] : Ad Dies Jesu Christi Nati Festos Rite Pieque Celebrandos Cives Academicos
: Particula Prima, Quae Continet Secessionem Ejusdem Gryphiswaldiam Factam**

Rostochii: Adler, [1792]


<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn824013190>


Band (Druck) Freier  Zugang





Ph. - 240 (2.) <16.78.17>





AD DIES
IESV CHRISTI
NATI FESTOS

RITE PIEQVE CELEBRANDOS

CIVES ACADEMICOS

EA QVA PAR EST HVMANITATE

HORTATVR

ACADEMIAE H. T. RECTOR

HERMANNVS IACOBVS LASIVS

GRAEC. LITER. PROFESSOR P. O.

ADIVNCTA

*HISTORIAE EXILIORVM,
IN QVAE ACADEMIA ROSTOCHIENSIS
SAECVLO XV. MISSA PVLSAQVE FVIT,*

PARTICVLA PRIMA,

QVAE CONTINET

SECESSIONEM EIVSDEM GRYPHISWALDIAM
FACTAM.

ROSTOCHII,
LITERIS ADLERIANIS.

1792.

II.

1752

LESECHRIST
PATTI HISTOR
RITZ
GATS
HERRMANN
HISTORIE
MAGDALIEN
M. A. M.
1752



Memoriam IESV, Maria Virgine divinitus nati, iam Christianorum coetus religioso cultu prosequitur atque celebrat, idque iure meritoque, iste quippe HEROS omnium optime est mortalium de genere meritus. Hic enim fortunarum nostrarum *Amplificator* ac *Euepyérys* summus non nobis solum salutaria ad virtutem praecepta dedit, quaeque ipse docuit, in usu habuit, adeo ut dignissimus sit, ex quo, ad colendam virtutem, optimum sumamus exemplum, sed quoque nos DEO O. M. conciliavit, et cum isto in gratiam revocavit, simul demonstrans, qua ratione suminum sit Numen ab hominibus, ratione sana gaudentibus, colendum, et quidem veritati congruenter convenienterque.

Omnia ergo essemus ingratiissimi, huius nisi nostrae salutis *Auctoris* natales pie, ac ut eius alumnos decet probos, colere vellemus. Ad quod quoque officium *Vos*, C. O. O. H. ego pro muneris mihi iam demandati ratione ea, qua par est, humanitate seriatimque admonitione adhortor invitoque. Ingrati enim animi crimen omnium facinorosum est atrocissimum, et proborum reprehensione dignissimum, grata e contrario beneficiorum acceptorum memoria optimum quemque decet, eique convenit, quem quippe grati animi sensum non didicimus, sed ex ipsa potius natura arripimus, hausimus, expressimus, ac ad quem, CICERONIS ut utar verbis, *a*), non docti, sed facti, non instituti, sed imbuti sumus. Hunc hominibus rationis praescripta sequentibus convenientem animi sensum iam Philosophi veteris aevi, et divina legum

A 2

pate-

a) Cic. Orat. pro Milone c. 4.

patefactione desistuti, civibus suis commendarunt quam maxime, et a vitio huic opposito summa dehortati sunt severitate alumnos suos b).

Nonne ergo Christiani, divino lumine collustrati, turpiori adhuc dedecore ac infamia se inquinaturi essent, circa natales IESV, summi mortalium *Egyptæ*, si indifferentes se gererent, adeo ut nullo horum gaudio adficerentur? quo a crimine foedo summa animi contentione *Vos* dehortor, etiam atque etiam rogans, hos ut dies festos, nato CHRISTO dicatos sacrosque, pio, ob humanæ genti reparatam salutem, gaudio agatis atque condatis.

Hicce ergo officio mihi iniuncto iam satisfecissem, veteris nisi moris esset, eiusmodi admonitionibus sollempnibus materiam quandam ex literarum orbe petitam, subiungere, eamque uberius tractare ac persequi. Huic quoque consuetudini ego iam morem gerere duxi, et quidem argumentum elegi exponendum, quod nostræ Universitatis literariæ amantibus, mea quidem sententia, haud ingratum futurum sit. Etenim me sinistra fata, quibus hæc Musarum sedes pervetusta sæpius fuit afflicta, apud animum perpenderit, *recordatio etiam exiliorum, quæ est saeculo in primis XV. plus quam una vice perpeffa, subiit*, hincque apud me constitui, ista his in plagulis exponere et enarrare.

Licet historici patriæ nostræ suis in fastis dictam Academiae calamitatem silentio haud præterierint, ingratum tamen lectoribus non fore

- b) Cicero in Orat. pro Plancio gratam in bene de nobis meritos voluntatem prædicat, virtutem esse non solum maximam, sed etiam matrem virtutum omnium reliquarum. *Xenophon* autem, summus pariter Philosophus ac Imperator, cuiusque voce, teste *Cicerone*, Musæ locutæ videntur, *Cyropaed. L. I. c. 2.* docet, ingratos homines nulla Dei cura, nulla parentum, patriæ, amicorum adfici, quin et impudentiam potissimum ingratam mentem comitari, hancque unam omnium ducem esse ad turpissima quæque maximam. En Viri verba: *ἴονται οἱ Πέρσαι τὰς ἀχαρίστους καὶ περὶ θεῶν ἂν μάλιστα ἀμελῶς ἔχειν, καὶ περὶ γονέων καὶ πατρίδα καὶ φίλων. ἔπειθαι δὲ δοκεῖ μάλιστα τῇ ἀχαριστίᾳ ἢ ἀναισχυντίᾳ καὶ γὰρ αὐτῇ μεγίστη δοκεῖ εἶναι ἐπὶ πάντα τὰ αἰσχροῦ ἡγεμών.*

fore iudico, *illius si rei historiam in brevem summam collectam*, exhibeam, eique, quantum fieri possit, maius clariusque adfundam lumen c).

* * * * *

Vt in regnis, urbibus, populis ac familiis nil est stabile et diuturnum, utque omnia potius in istis variis sunt obnoxia mutationibus, crescunt, decrescuntque, et tunc iterum, licet rarius, pristinum, quin maius accipiunt decus splendoremque; ita et eadem fata habent et patiuntur

A 3

- c) Speravi quidem, fore, ut adhuc magis exactam accuratoremque horum exiliorum historiam ex tabulariis publicis tam *Gryphiswaldensibus* et *Lubecensibus*, quam *nostrae patriae* haurire possem; ast ita felici fieri mihi haud licuit, quippe inquisitio investigatioque, omni etiam cura ab amicis habita, exitu caruit oprato.

Nihilo minus duo *Alba*, unum *Academiae*, alterum *Ordinis Philosophorum*, quae ambo MCCCCXIX, ab incunabulis nostrae Universitatis literariae incepta, et deinde postea continuata sunt, multa haud exigui momenti hac de historia mihi ministrarunt, adhuc non satis cognita perspectaque, quae quoque haud reticebo, quoniam istis illa clarior certiorque fieri potest, fugatis inde tenebris, quae adhuc hanc historiae nostrae Academiae particulam presserant obtexerantque, Grato tamen, uti par est, animo praedico opem, qua me in peruestigandis istis supra memoratis pervetustis codicibus, rudi, quin barbara manu conscriptis, adiutus est Collega mihi amicissimus S. R. PRIES, hac in Academia Theologiae Professor celeberrimus, cui etiam laudem inde colligendam lubenti grataque mente defero largiorque. Equidem Auctores *des Rostocksehen Etwas*, Academiae *Album* iam peruestigabant; ast saepius haud debita cura, sed potius oculis conniventibus, nec *Album Ordinis philosophici* cum illo contulerant, hincque omni ab errore haud immunes fuerunt, id quod data occasione suoque loco ostensurus sum.

Nec quoque silentio praetermittere aequum cenfeo, *καταστροφήν*, quam saeculo XV. nostra Academia bis experta est, quam quoque iam iamque descripturus sum, haud penitus absumilem esse mutationi fortunae tristi laetaeque, quae eidem nostro aevo contigit, cuiusque multi nostrum testes sunt locupletes. Clementia enim, quae in nos totamque patriam summa est, FRIDERICI FRANCISCI, *Megalopolensium terrarum Ducis Serenissimi*, ac *Domini nostri indulgentissimi* est quoque pervetusta haec Universitas literaria, quatuor fere abhinc annis, post circiter XXX annorum vastitatem in integrum restituta, cuiusque membra misere adhuc disiuncta sunt

tiuntur feminaria, Musis literarumque studiis sacrata dicataque. Scholae enim tam inferiores, quam superiores, ab exiguis saepius profectae initiis, aliquandiu in dies incrementa capiunt maiora laetioraque, florent hilariter et doctoribus et alumnis, horum disciplinae ac institutioni se tradentibus, atque literarum limites proferunt quam latissime, illasque clariori spargunt et illustant lumine. At pro dolor! haec Musarum domicilia templaque post aliquod temporis spatium saepius diruuntur, fiuntque desolata, dum literarum bonarum scientiae hinc pelluntur, fuganturque, et, pro pudor! horum locum occupant barbaries, foeda ignorantia ac superstitio caeca. Sed tamen haec caligo dira calamitasque probrofa non semper aeternum durant, et quae omnium rerum est vicissitudo, Musae exules suas tandem in sedes redeunt, aedes iis antea dicatae instaurantur, et saeculum in priscum redit aurum.

Huius mutationis tristis laetaeque, inter alia literarum artiumque ingenuarum domicilia ac templa, nostra quoque *Rosarum Academia* testis esse potest locuples tristisque, tam prisco, quam tempore recentiori. Fatis autem recentioris aevi in aliud tempus reservatis, promissi memor, *καταστροφὰς* duas, quae primo iam conditae *Academiae nostrae saeculo istam opprefferunt*, delineaturus sum, et quidem servato temporis

sunt arctius, quam antea fuerant, coniuncta; quin et literis in ea ingenisque artibus non splendor solum ac dignitas, quibus olim floruerat, fuere reddita, sed quoque vocatione in eam liberalissima, atque accessione Virorum eruditionis laude famaue inclutorum, in maius aucta est, adeo ut patria nostra nobis carissima, exterique iam hac de Musarum sede optima quaeque omniaque praeclara sperare possint. Huic etiam spei et fiduciae novum majusque pondus ac momentum inde nuper accessit, quod *Dux Serenissimus* et *Dominus noster clementissimus, Filium suum natu maximum, Principem hereditarium Serenissimum, FRIDERICVM LVDOVICVM*, erudiendum expoliendumque huic *Academiae* crediderit ac permiserit quam indulgentissime. Ut haec gratia *Principis Optimi* Universitati nostrae decus ac ornamentum, idque maximum, conciliat, ita quoque aculeos et stimulum addit acerrimum in ea docentibus, quo partes sibi demandatas sancte ac religiose suscipiant, et pro dignitate impleant.

Ceterum iam memoratam fortunae vicissitudinem, quae nostro aevo *Academiae nostrae* accidit, forsitan alia in commentatione, sine studio et ira, quorum causas procul habeo, uberius sum traditurus.

poris ordine, ita ut exilium *Gryphicum Lubecensi* antecedit. Sed angustia et temporis et chartarum, qua iam intercludor, haud permittit, quo minus copiosam rei historiam hac diatribe absolvam; hincque tantum *migrationem Musarum Rostochio Gryphiam* in his plagulis enarraturus sum, exilii vero *Lubecensis* expositione in sequentem destinata commentationem.

Iam ergo ad commorationem Gryphiswaldensem propius accedamus. Anno MCCCCXXXVI primum Academia nostra, iubente Concilio Basiliensi, domicilii sui locum, licet invita, mutare coacta est, et quidem anni sequentis MCCCCXXXVII mense Martio exeunte, *Gryphiswaldiam* se contulit, retento tamen *Academiae Rostochiensis* nomine d), ibique fuit usque ad annum MCCCCXLIII, commorata, quam translationem historici, qui res fataque patriae nostrae posteris prodiderunt, stiloque signarunt, praesertim b. FRANCK e), et III. RVDLOFF f), aliique ab his Duumviris laudati scriptores g), persecuti sunt quam diligentissime, ex quorum scriptis, itemque ex supra memoratis antiquis *Albis*, et Academiae et Ordinis in ea philosophici, ego vero tantum modo huius rei summas iam attingam.

Migrationis huius ingratae causam et tanquam ansam dederunt turbae *Rostochii* MCCCCXXXVII. senatum inter civesque ortae, quae eo recordiae et in id furoris processerunt, hi ut veteri senatui, ausu privato, magistratum abdicaverint, novumque in eius locum crearint. Consules autem, munere suo vi deturbati, hincque fugaces, *Concilii Basiliensis* auxi-

- d) Testibus veteri *Academiae Albo*, et *Rostocker Etwas von gelehrten Sachen* 1738. pag. 11 — 16.
 e) *Alt und neuen Mecklenburgs*, L VIII. c. 2.
 f) *Pragmatischen Handbuchs der Mecklenb. Geschichte*, P. II. Period. IV. pag. 746. seq.
 g) *Rostocker Etwas von gelehrten Sachen* 1738. pag. 11 — 16. *Urkundliche Bestaetigung der Herzoglich - Mecklenburgischen hohen Gerechtfame neber Dero Academie und Rath zu Rostock*, 1754. Fol. §. 21. 22 23. Quibus addo CHYTRAEI *Saxon. L. 1. p. 41* LINDENBERGII *Chron. Rostoch. pag. 83. 84.* SEBAST. BACKMEISTERI *Antiquit. Rostoch. c. III § 2. insert. Tom. III. C. G. de WESTPHALEN Monumentis ineditis rerum German. praecipue et Megapot*, CRAMERI *Pomer Kirchen-Geschichte, L. II. p. 90* AUGUSTIN. de BALTHASAR von Pomer. *Landes Gesetzen, p. 129.* DAEBNERT *Pomer. Bibliothec. Vol. IV. pag. 313. Acta Iubilaei Acad. Gryph. p. 75. et 119.*

auxilium auctoritatemque implorarunt, quod quoque istorum precibus locum dans, eorum restitutionem, adiunctis poenarum ecclesiasticarum minis, iussit. Sed novus senatus civesque male morigeri huius Concilii edicto haud obtemperarunt, ideo tota tandem Rostochiensium civitas non Concilii anathemate solum fuit percussa, atque communitate sacra privata, id quod *excommunicationem* vocant, sed *Academia* quoque cogebatur, urbe diris devota excedere, et in aliud in Diocesi *Suerinensi*, *Caminensi*, aut *Raseburgensi* situm, rebusque suis commodum ac congruens oppidum secedere, *salvis tamen omnibus suis privilegiis, libertatibus et honoribus h*). Cui etiam Concilii edicto Academiae cives, licet inviti, intelligentes quippe, eiusmodi domicilii mutationem ac translationem cum Scholae suae illustris et tunc admodum florentis detrimento, quin excidio, coniunctam fore, obedientes *i*), MCCCCXXXVII. tandem *Gryphuswaldiam* migrarunt, ibique usque ad annum MCCCCXLIII. *k*) commorati sunt. Primis quidem illius exilii annis

b) Id quod testantur *litterae Concilii Basiliensis ad Rectorem ac universos Magistros, Doctores et Studentes Universitatis Studii Rostockensis MCCCCXXXVI. IIII. Kal. Octobr. datae*; quae litterae exstant in *FRANCKE hist. Meklenburg. not. b. memoratae L. VIII. pag. 25. et Rostocker Etwas von gelehrten Sachen 1738. pag. 2. s. q.* Quibus adduntur Auctores alii *in der urkundlichen Bestätigung, cet. not. g. laudata.*

i) Quo Professores Rostochienses hanc ipsis molestam migrationem subterfugerent, cum Concilio Basiliensi questi fuerant, *huiusmodi translationem absque Studii ipsius desolatione fieri non posse*, cuius querelae mentio fit in litteris Concilii Basiliensis modo citatis.

k) E. H. WACKENRODER in suo libro: *Altes und neues Rügen p. 58.* refert, multos Professores Rostochienses olim quoque in Rugiam insulam secessisse, ibique ab ordine sacro huius terrae benigne ac commiter exceptos fuisse, et ut eo dilucidius Viri mens pateat, eius verba apponam: *a. C. 1420. entstand in Rostock ein grosser Aufruhr wegen der neu angelegten Academie, daher viel Professores und Gelehrte ihre Zuflucht in Pommern und Rügen nahmen, denen die Priesterschaft nach Möglichkeit beygesprungen. Der größte Haufe liefs sich zu Greifswald nieder, doch wolte es in der Länge den Stich nicht halten, und weil keine Salaria erfolgten, zogen sie wieder nach Rostock.* Sed haec narratio fidem multis ex causis meretur nullam. Nam annus MCCCCXX a Viro commemoratus, qui foret post Academiam conditam

fata Academiae satis fausta fuerunt, nec spernenda *Gryphiae*, quippe non Professores solum in scholis, quas ibi habuerunt, navifuerunt, sed etiam, teste *veteri Academiae Albo*, haud exiguus studiosorum docilium numerus in hanc Musarum Rostochiensium sedem temporariam confluit, dum dictis istis annis ultra CCC alumni in *Album Academicum* relati fuere l).

At IV. sequentibus annis *Gryphiae Schola nostra* admodum languit, quin fere expiravit, quippe nulli sunt in *Albo* iuvenes inscripti m). Minime ergo mirum est, quin Professores reditum in patriam anxie exoptarint, praesertim cum iam MCCCCXXXIX. *Rostochio* esset quies paxque restituta, haecque urbs proscriptione, tam *Imperatoris* civili, quam *Pontificis* M. ecclesiastica, exsoluta. Sed tamen haec Professorum vota nimis praecipitantia fuerunt, dum sub duris, quin iniquis, conditionibus ac legibus a civitate aditum tandem redemerunt n). Nec omnia

tam secundus, non solum dubio procul est falsus, sed etiam in eo WACKENRODER errat, quod *Rostochii* seditio ob conditam Academiam fuerit orta. II. Professorum Rostochiensium in Rugiam secessionem refert Vir, non ullo laudato teste ac auctore, licet eiusmodi provocatio ad testem locupletem eo magis necessaria fuisset, quia ceteri historici, qui res in *Pomerania Rugiaque* gestas stilo consignarunt, de ista commoratione tacent. III. WACKENRODER est, iudice *Pomeraniae et Rugiae* historiarum optimo et peritissimo interprete et arbitro, GADEBUSCH, *Academiae Gryphaeae Professore*, eruditionis fama laudeque insigni, quoque in aliis sublestae fidei auctor, quippe qui non in rebus antiquis solum erroribus scateat sat gravibus, sed et in rebus aetno suo propioribus, quin et ante oculos suos positis, a mendis haud est immunis multis, quam sententiam etiam de WACKENRODER cel. GADEBUSCH in literis ad me datis tulit, nec celavit; ideoque non est, quod illi Auctori restium auctoritate destituto fidem habeamus.

l) *Kostocker Etwas von gelehrten Sachen* 1738 pag. 10. seq.

m) c. l. pag. 13. In *antiquo Academiae Albo* horum annorum ingens est lacuna, haud quidem in *Volumine*, sed tamen in *serie temporum*.

n) *Academiae MCCCCXIX* conditae Senatus civitasque Rostochiensis dotem DCCC florenorum Rhenensium anniversariam pendere quidem promiserat; sed iam noluit illam in moenia sua recipere, nisi polliceretur, se hanc dotem ad ducentos annos postulataram haud esse, cui quoque condi-

omnia Concilii academici membra hanc temerariam Collegarum sententiam calculo suo probarunt, sed potius horum IV., quibus Academiae salus forsitan magis curae cordique erat, a reliquis, plus iusto praecipitanter Rostochium ruentibus, dissidentes, *Gryphiswaldiae* remanserunt, ibique mortui ac sepulti sunt.

Hi quatuor Viri sunt: I) NICOL. THEOD. de AMSTREDAM, *AA. L. Mag. S. Theol. Baccal.*, primus Quodlibetarius Rostochiensis. II) BERNHARDUS BODEKER, *AA. L. Mag., Medic. Licent., S. Theol. et Iuris Baccal.* III) IO. TILEMANN, *I. V. D., Canonicus Eccles. Metrop. Rigenfis.* IV) WILKINUS BOLE, *Decr. D. Canon. Suerin.* Id patet ex pictura quadam, *Gryphiae in aede divo Nicolao dicata* parieti subselliorum Professoribus destinatorum adfixa o). Qua in pictura est WRATISLAUS, *Pomeraniae Dux, Conditorque Academiae Gryphicae*, depictus, sceptrum manu tenens, genuaque MARIAE divinae, IESVM puerulum in brachio gestanti, flectens, atque altera manu schedulam gestans, in qua haec verba exstant:

Ora voce pia pro nobis nate Maria.

Non vero, ut in *Rostocker Etwas 1738. pag. 74.*, et in DIETERICI SCHROEDERI *Papistischen Mecklenburg ad annum 1436. pag. 196r.* scriptum est: *Ora voce pia pro nobis Maria*; ideoque Dux, seu potius picturae artifex, MARIAE Virginis *Marci* reus haud est censendus, qui error iam in *Actis Iubilaei Acad. Gryph. p. 119.* notatus fuit. Duxem, ut in describenda pictura ulterius procedam, VII. circumstant viri, inter quos IV. iam memorati *Professores Rostochiensenses* sunt, una cum III. *Professoribus Acad. Gryph.*, puta HENRICO RUBENOVIO, *I. V. D., Bartholdo Segeberg, AA. Mag., Consul. Gryph. et Decan. Facult. Artium*, et tandem IOH. LAMSIDE, *AA. Mag. S. Theol.*

tioni durae, compositione cum Senatu MCCCCXLIII. inita, literisque insignita, annuere tandem coacta est Academia, reditus cupidine flagrans. Quod promissum et conventum *FRANCK alt und neuen Mecklenburgs L. VIII. pag. 66. seq.* posteris traditum reliquit.

- o) Hac de pictura pluribus agitur in *Actis Iubilaei Acad. Gryph. pag. 119.* pariter in CHRISTIANI STEPHANI SCHEFFELII *Vitis Professorum Medicinae, qui in Acad. Gryph. vixerunt, Gryph. 1756. 4.* et in DAHNERT *Pomer. Bibliothec. Vol. IV. pag. 286.*

Theol. Baccal., Scholastico Eccl. Nic. et primo Acad. Gryph. Quodlibetario p). Quorum quilibet schedam manu tenet, cui nomen viri inscriptum est, quae vero non integrum honorum titulum capit. Sequens picturae est inscriptio subdita, referente DAEHNERT in *Pomer. Bibliothec Vol. IV. pag. 286.*

Anno milleno, quater et C. ter duodeno
 His tum coniungo de Rostock tempore diro
 Translati studii defunguntur Studiosi.
 Quatuor hi primi duo sed moriuntur et imi
 Anno milleno quater et C. sexaquegeno,
 Lumina qui mundi, facundi q), mente profundi,
 Cum quibus electis similes vix nunc habet orbis.
 Sunt hic r) tres cum postremis s) primi tumulati;
 Defunctum quartum sepelit domus ipsa minorum;
 Virginis in templo cessit tumulatio quinto,
 Omnibus his Christe tribuas Saluator inire
 Regnum coeleste, baratri non morte perire.

Hi versus obscuri et barbari in *Actis Iubilaei Acad. Gryph. pag. 119.* ita illustrantur: *Studiosi*, (Doctores et Professores), *Studii* (Academiae) *tempore diro de Rostock*, (Grypliswaldiam) *translati*, *defunguntur*, (MCCCCLX). Nimirum *Quatuor primi*, (Nic. AMSTREDAM, de quo v. *Rostocker Etwas 1738. p. 12.*, BERNH. BÖTTICHER,

- p) Quinam hi *Quodlibetarii*, tam *Rostochiensis*, quam *Gryphicus*, fuerint, sum in calce huius commentationis pluribus disquisiturus.
- q) *Rostocker Etwas 1738. p. 75.* habet *faciundi*, quod vero $\sigma\phi\acute{\alpha}\lambda\mu\alpha$ est.
- r) c. l. legitur *hi*, sed falso.
- s) Loco *postremis* hoc in hexametro legendum esse *postremo*, necessario postular nexus cum antecedentibus et sequentibus. In quarto enim versu tantum sex mortui esse dicuntur, quartus autem, ut ex nono versiculo patet, in Franciscanorum aede sacra, et tandem *quintus*, faciente decimo hexametro, in aede divae Mariae dicata, fuere sepulti; possunt ergo in aede divo Nicolao sacra tantum modo *tres* priores cum *sexto*, qui hic *postremus* dicitur, terrae mandati esse. Huic etiam $\kappa\acute{\epsilon}\iota\sigma\epsilon\iota$ accedunt, istique calculum adiiciunt album, et *Acta Iubilaei Acad. Gryph. p. 119.* et SCHEFFELIUS c. l. p. 9.

CHER, *ibid.* TILEMANNVS IOHANNES, WILKINVS BOLE, *ibid.* p. II.)
 Et duo imi, (BARTH. SEGEBERG, IOH. LAMSIDE, *Gryphiswaldenses*).

Primi tres, (NIC. AMSTREDAM, BERNH. BÖTTICHER, TILE-
 MANNVS IOHANNES,) *cum postremo*, (IOH. LAMSIDE) *sunt hic*, (Gry-
 phiswaldiae in aede Nicolai) *tumulati*, *Defunctum Quartum*, (WILKINUM
 BOLE) *sepelit domus ipsa Minorum*, (templum Franciscanorum).
Quinto, (BARTH. SEGEBERG) *tumulatio cessit in templo Virginis.* t)

Veri similiter annus MCCCCXXXVI. quo *Rostochienses* Gryphiam
 venisse, huius Inscriptionis auctor canit, falsus est, quia ex veteri Aca-
 demiae *Albo* haud obscure patet, quod postea probatum dabo, id, di-
 midio Martis mensis sequentis anni MCCCCXXXVII. iam praeterlapso,
 demum accidisse. Id quoque notari meretur, istos quatuor supra memo-
 ratos Viros, etsi MCCCCCLX, quarto demum post conditam Academiam
Gryphicam anno, ibi mortui sunt, haud tamen in hac nova Musarum
 sede in ordinem Professorum Gryph. cooptatos fuisse, id quod ex *Albis*
Tubil. Acad. Gryph. clarum est, in quibus p. 116. primi huius Scholae
 illustres Professores sunt insigniti, nulla horum IV. virorum men-
 tione facta.

Antequam vero a pictura hac saepius iam laudata discedam, inquit
 situ haud indignum esse iudico, quinam istam fieri curaverit? Et mea
 quidem sententia HENRICUS RUBENOVIVS id fecisse censendus est, idque
 in honorem *Professorum Rostochiensium exulum*, qui in ea depicti
 conspiciuntur, quique eruditione sua, ut tum erant tempora, prae ce-
 teris insignem laudis famam nacli sunt. Rationes sequentes me ad tuen-
 dam coniecturam commovent ducuntque: I) Viri depicti MCCCCCLX.
 diem supremum obiisse dicuntur, nulla vero de RUBENOVII obitu men-
 tione facta, qui tandem MCCCCCLXII. manu nefarii cuiusdam interrem-
 tus est u). Inde veri similiter liquet, picturam, vivo adhuc RUBENOVIO,
 intra annos MCCCCCLX et MCCCCCLXII. confectam fuisse; II) Omnibus
 in pictura conspicuis Viris, unico RUBENOVIO excepto, titulus honoris
 Domi-

r) Tam hos sex viros, Gryphiae mortuos sepultosque, quam ceteros, qui *Ro-*
stochium reverterent, postea hac in commentatione, ex *Albis antiquis*
et Academiae nostrae, et *Ordinis in ea philosophici*, accuratius de-
 scripturus sum.

u) v. pluribus AUGUSTINI de BALTHASAR *Programma de vita et*
fatis HENRICI RUBENOVII, Gryphiswaldiae 1737. typis editum.

Dominus, tributus est, quae modestia RUBENOVIVM, picturae auctorem non sine veri specie prodit, quia se una cum amicis suis cohonestare recusaverit.

His quidem duobus argumentis SCHEFFELIUS l. c. tertium adiunxit, nempe RUBENOVIVM non cum reliquis *Rostochio Gryphiam* venisse; ast verisimiliter in eo errat *Vir doctus*: nam, teste *veteri Academiae nostrae Albo*, in id RUBENOVII nomen MCCCCXXXV. die XXIII. Martii m., sub Rectore ante translationem penultimo, BEKELIN, relatum est, hincque creditu haud absortum est, eum usque ad annum MCCCCXXXVII. *Rostochii* remansisse, ac tum demum cum reliquis Academiae civibus *Gryphiswaldiam* se contulisse.

Non dubito, quin haec in vita RUBENOVII *περίσσωσις* historiae rerum Pomeranicarum amantibus grata futura sit, in primis, quia scriptores, qui res ab hoc viro gestas literis consignarunt, de vita eius academica, et praesertim, in quam Universitate literaria literarum studiis vacaverit, tacent, quoniam forsitan haec de re nil cogniti habuerint.

Iam vero promissi mei supra dati memor, totam adhuc huius *exilii Gryphici*, quod nostra est Academia perpessa, historiam, ex *Albis antiquis* et *Academiae et Ordinis in ea philosophici* perconsuebo, quia horum ope haec calamitas in clariori luce poni potest, nosque tenebras, quae eam premunt, optime pellere valeamus. Melioris autem ordinis ergo hanc *καταστροφήν* in IV. capita descripturi sumus, in quorum *primo* agetur de

Anno temporeque in eo, quo Academia Gryphiam commigravit.

Ante XIII. d. Martii anni MCCCCXXXVII. Academia non secessit, etsi turbae, quae secessionis ansam dederant, iam MCCCCXXXVII. ortae erant, et mandatum, urbe exeundi, a Concilio *Basiliensi* x) IV. calend. Octobris MCCCCXXXVI. cives academici iam acceperant. Sed tamen dimidio Martii m. iam praeterlapso antea dicti anni Academici nostri vasa ut collegerint, necesse est, quia iam primis Aprilis diebus *Gryphiae*, in sede sua nova, adfuerunt. Nihilominus ex turbis, urbem infestantibus, Academia iam in aestate anni MCCCCXXXVI. ingens detri-

B 3

x) v. ut etiam supra monitum est, *Rostocker Ervas*, 1738. pag. 2. seq.

detrimentum fecit, et in primis numerus studiosorum admodum imminutus fuit, testibus *Albis antiquis*, et *Academiae*, et *philosophici in ea Ordinis*.

Etenim 1) in *Albo academico* haec exstant verba:

Anno Domini millesimo quadringentesimo tricesimo sexto HELMOLDUS de ULZEN, Arcium et Medicinae Doctor, in die Tiburcii in Rectorem universitatis est electus, et in die beati Georgii publicatus, infra scriptos intitulavit. In cuius Rectoreto Universitas ab actibus publicis est suspensa. Item ex hoc albo academico patet, in Aprili dicti anni decem iuvenes, in Maio XXXIII., in Junio XII., in Julio tres, in Augusto tantum modo unum, in Septembri nullum, et tandem in Octobri unum in Albo inscriptos esse. In hibernum huius anni semestre non novum Rectorem electum esse, testatur quoque hoc *Album*, idque hisce verbis:

Anno Domini MCCCCXXXVI. Doctor Helmoldus propter causas erat in Rectoreto continuatus, et infra notatos dictus Dominus Helmoldus Rector intitulavit, — — — Et quidem in Ianuario a. MCCCCXXXVII quinque, et in Martio usque ad diem XIII. tres. Accurate ac cum cura statim post ea verba annotatum est: *Infra notati sunt intitulati Grypeswaldi propter translationem Universitatis Concilii Basiliensis — — — factam*; et horum inscriptorum primus d. VI. Aprilis h. a. nomen suum Academiae dedit.

Porro tam in fronte, quam in margine huius paginae scriptum legitur: *Grypeswaldi intitulati tempore translationis*. Ex albo etiam patet, HELMOLDUM de UELZEN *Gryphiswaldiae* in numeros civium academicorum adhuc in Aprili m. viginti quatuor x) retulisse.

2) Cum his egregie concordat *Album Philosophorum vetustum*.

Etenim in semestri aestivo, (nempe a die Tiburtii usque ad diem Dionysii.) anni MCCCCXXXVI., quo IOH. MEDENBLICH Decani munere functus est, de turbis, civitatem infestantibus, nil est adnotatum.

Verba

x) Inde error in Rost. *Erwas* 1738. p. 10. exstans, *triginta tres* tunc inscriptos fuisse, est corrigendus.

Verba sunt sequentia:

Anno MCCCCXXXVI. Tiburtii electus est Decanus Magister IOH. MEDENBLICH, sub quo promoti sunt Magistri hi, (quorum sunt VI.), Baccalauri hi, (XVII.). Iam vero sequitur: Eodem anno, (1436) Dionysii electus est Decanus Magister Nicolaus Theodorici, (de Amsterdam,) in cuius Decanatu non fuerunt actus scholastici neque promotiones, propter Universitatis suspensionem. Quo tempore, (scilicet a die Dionysii, IX. Octobr. 1436. usque ad d. Tiburtii, XIV. Aprilis 1437.), facta est translatio studii Rostoczensis in Gryphiswaldis. Anno XXXVII. Tiburtii electus est Decanus Facultatis in Gryphiswaldis Magister Bernhardus Bodeker, (Bötticher), cet.

II) de actibus academicis Gryphiswaldiae factis:

Ineunte mense Martio anni MCCCCXXXVII. usque ad d. Michaelis anni MCCCCXXXIX. hincque quinque per semestria, sunt labores academici sine interruptione continuati. Equidem etsi de disputationum actibus, et scholis *Gryphiae* habitis Annales nostri, saepius iam laudati, tacent, tamen ex iis extra omne dubitationis periculum demonstrari potest, munera Rectorum ac Decanorum ex regula praescripta se ibi excepisse, item iuvenes literarum studiosos in album academicum relatos, honoresque academicos collatos esse.

Ad id demonstrandum, iam seriem Rectorum *Rostochiensium*, qui *Gryphiae* hac dignitate fuere exornati, ex *Albo acad.* hauriam, lectori exhibebimus.

1) HELMOLDUS de UELZEN, qui summum Academiae magistratum gerens, uti iam supra annuimus, *Rostochio Gryphiam* venit, ibi die Georgii MCCCCXXXVII. isto munere abiit, postquam *Gryphiae* XXIV. iuvenes albo academico inseruerat.

2) Ei in aestivum dicti anni semestri successit NICOLAUS WENTORP, Iuris Canonici Baccalaureus et in Legibus Licentiat; qui in breve tempus Rectoris munia cum WILKINO BOLE partitus est, unaque cum eo usque ad diem *Galli* XCIII. iuvenibus *Gryphiae* civitatem academicam largitus est.

3) Hi-

3) Hiberno semestrio annorum MCCCCXXXVII. et MCCCCXXXVIII. Rector fuit BERNHARDVS BODEKER, (BÖTTICHER), Artium Magister, in Medicinis Licentiatus, in S. Theologia et Jure Canonico Baccalaureus, qui in Album academicum usque ad dies Paschatos sacros MCCCCXXXVIII. retulit XLV. iuvenes.

4) Per semestre aestivum a. MCCCCXXXVIII. fascies academicos habuit HENRICUS BEKELIN, utriusque Juris Doctor, qui quæ in numeros academicorum recepit LXXXII. alumnos.

5) In semestre hibernum annorum MCCCCXXXVIII et IX. iterum Rector creatus est NICOLAUS WENTORY, quo Rectore usque ad diem Georgii MCCCCXXXIX. nomina sua dederunt XXI. iuvenes.

6) Semestri aestivo a. MCCCCXXXIX. secundum Rector fuit BERNHARDVS BODEKER, qui ab Aprili m. usque ad Augustum m. XLVII. civitatem academicam dedit adolescentibus a).

Sic tamen, ut modo seriem Rectorum in hac temporis periodo, ex *Albo Academiae vetusto* erutam, exhibemus, haud ita possumus ex singulis ordinibus, seu, ut vocant, *Facultatibus*, in quas secundum varietatem disciplinarum Academiae doctores dividuntur, se excipientes Decanos, ac collatos honores academicos proferre, quia, praeter Ordinem Philosophorum, ceterae Academiae nostrae *Classes* eiusmodi antiquis *Albis* et *Annalibus* orbatae sunt.

Ex *Albo* ergo *Philosophorum vetusto*, quod favens nobis fortuna servavit, tantum modo seriem *Decanorum*, qui *Gryphiae* hoc munere functi fuere, et sic dictarum *Promotionum*, ministraturus sum.

1) NICOLAUM THEODORICI, (*de Amsterdam*), qui semestri hiberno annorum 1436 et 1437. *Rostochii* ultimus fuit Decanus, et, ut supra iam monitum est, hoc munere adhuc ornatus, *Gryphiam* venit, excepit in officio isto successor

2) BERNHARDVS BODEKER, (*Bötticher*), qui durante semestri aestivo 1437. XIII. *Philosophiae* Baccalaureos creavit.

3) Hunc

a) Summarium ex *Albo acad.* huc pertinens, exstat in *Rostock. Etwas 1738.* pag. 13.

3) Hunc die *Dionysii* 1437. sequitur IACOBUS NYGEBUR, qui *Gryphiae* V. Philosophiae Baccalaureos pronuntiavit.

4) Huius Successor fuit, et quidem die *Tiburtii* 1438. electus, NICOLAUS THEODORICI, (*de Amsterdam*), qui VIII. viris honores Baccalaurei Philosophiae contulit, ac quoque M. PETRUM HONDESTORF in Philosophorum Ordinem recepit.

5) Illi successit d. *Dionysii* h. a. IOHANNES BODEKER, (*Bötticher*), qui V. Magistros, (inter quos fuit Philosophiae Baccalaureus IOH. LAMSIDE, de quo postea), et VII. Baccalaureos creavit, et tandem M. ALBERTUM HOLTEN, *Colonensem*, in Philosophorum Ordinem recepit.

6) Die *Tiburtii* 1439. Decani munia consecutus est IOH. VOSS, qui XII. viris Baccalaurei honores, et VII. Magistri dignitatem largitus est.

Hi omnes, a supra memoratis quinque Decanis creati Magistri et Baccalaurei, in *Albo* non solum nominatim indicantur, sed quoque, quod notatu dignum est, additur, istos *Gryphiswaldiae* hos honores academicos accepisse.

III) De actibus academicis *Gryphiswaldiae* suspensis.

Ab hiberno semestri a. MCCCCXXXIX, usque ad festos Paschatis dies (mense Maii) a. MCCCCXLIII. nec *Gryphiae* nec *Rostochii* aliquid publice actum est. Attamen ex collatione *Alborum* amborum saepius commemoratorum patet, die *Dionysii* a. MCCCCXXXIX. HENRICO BEKELIN Rectoris, et IACOBO NYGEBUR Decani in Philosophorum Ordine munera demandata fuisse, quibus ad Annum usque 1443. functi sunt.

Etenim in *Albo academico* leguntur, non ulla scribendi facta intercapedine, usque ad Maii m. anni 1443., post nomen PAULI WYROK, qui *Gryphiae* d. III. Aug. a. 1439. Rectore supra nominato BERNH. BÖTTICHER in *Albo* inscriptus est, haec pauca verba:

Anno Domini MCCCCXL. mense Februar. d. XX. in Rectoratu Domini HENRICI BEKELIN b) intitulatus est Dominus PETRUS NICOLAI, alias Drucker, Presbyter Roskildensis Dioeceseos, dd. I. Flor. Et post haec verba sine lacuna mentio fit de Rectoris munere, ab eodem BEKELIN per aestivum semestrem a. MCCCCXLIII. gesto, qui tunc temporis CCLXXVII. iuvenes *Albo* inseruit, qua de re postea plura dicemus.

b) Eum ergo die *Dionysii* 1439. electum esse oportet.

2) In

C

2) In *Albo* vero *Ordinis philosophici* leguntur post indicata Decania, quae IOH. VOSS per aelivum semestre a. MCCCCXXXIX, obierat, sequentia verba: *Ex hoc loco deinceps per triennium (1440. 1441. 1442.), neque Gryphesw. neque Rostochii quicquam agebatur; nam translatio erat suspensa, immo forte revocata, et in Rostock nondum Universitas resuscitata.* Ac in una verborum serie adduntur haec verba: *Anno Domini MCCCCXLIII. post Pascha resuscitata est Universitas Rostoczensis, et in Facultate artium relictus est Decanus Magister Jacobus Nygebur c)*

Ex relationibus, quas modo ex *Albis* ambobus in medium protuli, mea quidem sententia, dilucide patet, a die Dionysii a. MCCCCXXXIX usque ad dies Paschatos festos a. MCCCCXLIII. Academiam *Rostochiensem Gryphiae* omnibus actibus publicis abstinuisse, nec novum Rectorem creasse, nec honores academicos dispensasse, nec Decanos elegisse, nec tandem cuidam, praeter Presbyterum P. NICOLAI, civitatem academicam dedisse, licet forsan scholae privatae habitae sint, nec Professores prorsus ab iis cessarint.

D. ZINZERLING ergo haud errat, adseverando d), HENR. BEKELIN supra tres annos non interrupte Rectoris munere functum esse; nec auctores diarii (n. d.) laudati hanc sententiam dubiam iudicassent, si Album academicum solum non consulissent, sed quoque *Album Ordinis Philosophorum* auxilio vocassent, quod vero iis ad manus fuisse haud videtur. Iam accedamus ad

IV) *Restorationem Academiae Rostochiensis.*

Locus ex *Albo Ordinis philosophici* a nobis haud procul a fine antecedentis capitis allatus, demonstrat, Academiam nostram post Paschalia sacra a. MCCCCXLIII. *Gryphia Rostochium* rediisse, et in integrum restitutam esse; et ex *Albo academico* patet, id exeunte Aprilis mense contigisse, ac primo iam die Maii m. *Rostochii* Studiosum quendam in *Albo* inscriptum esse. Verba id docentia sunt sequentia:

Anno

e) Significatus, vocibus *relictus est*, subditus, clarior fit ex aliis locis huius *Albi*, quorum quaedam iam addam: ad a. 1435: *Tiburrii Decanus est electus Bodeker, cct. Eodem anno idem relictus est Dionysii, et promoti sunt.* — — Item ad a. 1450: *Tiburrii electus est Decanus Mag. Iohannes Stammeel.* — — Eodem anno *Dionysii idem est in Decanatu relictus.*

d) v. *Rost. Erwas* 1738. pag. 13.

Anno 1443. Dominus HENRICUS BEKELIN, utriusque Iuris Doctor, pro tempore estualiter electus est e) in Rectorem Universitatis, intulavit infra scriptos. Mensis Maii die I. cet. Expleant hi numerum CCLXXVII. Studiosorum, supra iam memoratum.

Enim vero Professorum et Doctorum, qui se Rostochio MCCCCXXXVII. Gryphiswaldiam receperant, non omnes reverterunt, uti iam supra demonstravi; ex iis tamen omni dubio procul sequentes viri ad lares patrios redierunt:

1) HENRICUS BEKELIN, Rectoris dignitate adhuc ornatus. Is est a. 1419, ut Notarius Academiae, quem iam *Academiae Secretarium* vocamus, Albo acad. insertus. Ante translationem Universitatis Rectoris munere functus est a. 1432, 1433, et 1435. Gryphiae denuo hanc obtinuit spartam 1438, et quoque ab a. 1439 usque ad a. 1443. Post Academiae Restitutionem retinuit non solum hanc dignitatem, usque ad d. *Michaelis* a. 1443. sed etiam postea sexies sibi hoc onus imponi passus est: nimirum 1445, 1447, 1449, 1452, 1453, 1454.

2) BERNHARDUS PLOTZE, D. Theol. et Canonicus Hamburgensis. Ante Academiae secessionem fuit Decanus Ordinis philosophici 1421, Rector 1422, et posthac 1451.

3) HELMICUS GANDERSHEIM f)

4) ARNOLDUS WESTPHAEL, secundus post Restaurationem Academiae semestri aelivo a. 1443. Rector.

5) ARNOLDUS de UELZEN, quo Rectore suspensio a. 1436 facta est, iubente Concilio Basiliensi.

6) NICOLAUS WENTORP, die 29. Aprilis a. 1420 in Albo academico inscriptus, ante exilium *Gryphicum* 1435 Rector, quo quoque

C 2

αξία

e)) Non est, quod verba, *electus est*, nobis scrupulum iniiciant, an BEKELIN ab a. MCCCCXXXIX. usque ad a. MCCCCXLIII. magistratum Academiae summum continenter gesserit, nam id iam supra ex actis probatum dedi, nec vox *electus* a rei veritate aliena est, quando hunc virum Collegae, Rostochium redeuntes, Rectorem suum semestris iam inchoati declaraverint.

f) Hoc nomine insignitur in *Roff. Etwas 1739. p. 743.* Sed in Albo academi inter inscriptos nullus nomine *Helmicus* reperitur, ast in isto *Hennyn-gius de Gandersheim* est in studiosorum numeros relatus, et quidem VII. Iulii MCCCCXXXI.

αξιωματι Gryphiae 1437 conspicuus fuit, et etiam postea 1444, 1445, 1447, 1450. g).

7) Sine omni dubitatione his Gryphia redeuntibus Viris est IAC. NYGEBUR adnumerandus, qui 1419. PETRO STENBECK, primum Rectore, in Albo acad. inscriptus, unus primorum membrorum Ordinis philosophici fuit; atque postea ei 1421 et 1424. *Rostochii* sparta Decani obtigit, quam quoque *Gryphiae* 1437, atque 1439 usque ad a. 1443 sustinuit, et tandem, exacta huius anni aestate, *Rostochii* hoc munere abiit.

Ex iis vero Doctoribus, qui quidem 1437. *Rostochio* *Gryphiam* secesserant, non tamen postea penates repetierant, sequentes, cum cura inspectis *Albis*, tam academico, quam Ordinis philosophici, indicare possumus:

1) NICOLAUM THEODORICI de AMSTERDAM; iste fuit, teste *Albo Philosophorum*, semestri aestivo 1422. in Ordinem istum receptus, huiusque *Classis* Decanus *Rostochii* a. 1425, 1427, 1429, 1430, 1432, 1433, 1434, et 1436. evasit; *Gryphiae* idemetiam obiit munus semestri aestivo a. 1438; falces academicos *Rostochii* tenuit in aestate a. 1426, et denique *Gryphiae* vices Rectoris BERNHARDI BÖTTICHER per tres priores menses anni 1438. implevit.

2) BERNHARDUM BÖTTICHER, *Erfordiensis*, qui ut Baccalaureus 1420. in Philosophorum Ordinem receptus est, et 1421. honores Magistri impetravit. Decani partes ei *Rostochii* 1425, 1427, 1429, 1430, 1432, 1433, 1434, 1436, et quoque *Gryphiae* 1437 et 1438 demandatae fuere; Rectoris spartam sustinuit, et quidem *Rostochii* 1430, 1433, 1438, *Gryphiae* autem 1437 et 1439.

3) TILMANNUM IOHANNIS, de cuius nomine Annales nostri multa variant; in *Albo* enim academico a. 1419 inscriptus nominatur *Tymannus Iohannis*, sed 1426 et 1432 munere Rectoris functus insignitur *Tidemannus Iohannis*.

4) WILKINUM BOLE, *Lipsiensis*; hic Vir 1419. in Albo academico, Rectore STENBECK, ut iam Magistri dignitate ornatus, est inscriptus, ac posthac semestri aestivo a. 1420. in Philosophorum Ordinem receptus. Testante quoque *Albo academico*, loco NIC. WENTORP, *Gryphiae* a. 1437. regimen acad. gessit, atque ibi VII. iuvenes in numeros retulit.

5) BAR-
g) Hi sex Viri in Conventu, quem Academia cum Senatu *Rostochiensis* a. 1443. iniit, nomine percensentur; v. *Rost. Etwas* 1739. p. 743.

5) BARTOLDUM SEGERBERG, *Lipfensẽm*; is d. 26 Aprilis a. 1420 nomen suum Academiae dedit, et una cum WILKINO BOLE, iam Magistri axiomate cohonestatus, in Philosophorum Ordinem fuit receptus.

6) IOHANNEM LAMSIDE; iste *Rostochii* d. 21. Jun. a. 1432. Albo academico est insertus, in quo autem *Iohannes Lamesside* nominatur. Anno 1434. hic, Decano IOH. MEDENBLICH, Baccalaureus Philosophiae evasit, ac *Gryphiae* a. 1438, Decano BERNHARDO BÖTTICHER, Magistri dignitatem adeptus est.

Haec indicia, ex annalibus nostrae Academiae vetustis cum cura eruta, dubitare haud sinunt, hos sex Viros 1437. *Rostochio*, una cum reliquis exulibus, *Gryphiam* secessisse. Ast post Academiae restitutionem nulla eorum in Annalibus nostris exstat mentio, nec memoria, indeque non sine ratione colligi potest, istos *Gryphiae* remansisse; id quod etiam per picturam, his Viris *Gryphiae* publice positam, de qua pluribus iam supra egimus, sine ulla dubitatione confirmatur.

Enim vero antequam huic commentationi finem faciamus, adhuc restat, ut inquiramus, quid significet titulus *Quodlibetarii*, quo in pictura *Gryphiswaldensi*, saepius iam commemorata, tam NICOLAUS THEODORICI de AMSTERDAM, quam IOH. LAMSIDE, insigniuntur decoranturque.

Diu anceps fui, nec adhuc omni sum haesitatione exsolutus, quoniam hi Viri in medio aevo in Academia tam *Rostochiensi*, quam *Gryphica*, fuerint, nimirum utrum sectam, inter Scholasticos famosam, *Quodlibetiariorum*, non ulla tamen muneris cuiusdam academici habita ratione, secuti sint, quae secta diversa erat a *Summistis* ac *Sententiariis* h),

C 3

an

b) Nec institutum meum, nec chartae angustia iam haud sinunt, diversitatem, quae inter hos viros barbaros inrecessit, accurate exponere; eam vero scire cupientes, consulant libros Scriptorum, qui de historia et Theologiae et Philosophiae literaria curiose agunt, ex quibus prae aliis commendo ADAMI TRIBECOVII *Librum singularem de Doctoribus Scholasticis*, cuius editio secunda auctiorque typis prodiit Ienae 1719. IAC. THOMASII *dissertationem de Doctoribus Scholasticis latinis*, insertam Fasciculo III. novae librorum rariorum collectionis, Halae Magdeburg. 1710; MORHOFII *Polyhistorum* T. II. L. I. c. XIII. GUILIELMI CAVE *scriptorum ecclesiasticorum historiam literariam* P. I. p. 194. seq. GISEBERTI VOETII *disput. de Theologia Scholastica*, insertam eius *selectarum Disputationum* P. I. Ultraieci 1600.; BUDDI *Isagogen in Theol. universam*, p. 365; ADAMI TANNERI *Theologiam scholasticam in Prolegom.* GERH. IOH. VOSSII *de Viriis Sermonis*, v. *Quodlibetum*; IAC. BRUCKERI *historiae criticae Philosophiae* T. III.

an vero singulare iis in Academiis munus demandatum fuerit, quo reliquis Professoribus distingui possint. Vix quoque, aut ne vix quid in ad liquidum perducere potest, utrum, siue tantum modo iam dictae Scholasticorum sectae addicti fuerint, seu peculiare in Academiis obierint munus, in Ordinem classemque Theologorum, an Philosophorum referendi sint?

Dicam tamen, quod hac de re obscura sentio. Mihi nempe ea ex causa haud veri simile esse videtur, istos viros ex classe Scholasticorum meos fuisse *Quodlibetarios*, quia in pictura *Gryphica* tantum modo horum, nec tamen *Summistarum* et *Sententiariorum*, etsi hi illos fama aestimationeque antecesserunt, mentio fit. Arbitror ergo potius, viros istos, in pictura laudatos, dialecticae et arti disputandi, quae tunc temporis in Academiis maximi habebantur, potissimum operam dedisse, in iisque alumnos suos exercuisse. Hi ergo disputationes suas, ut verbis *BUDEI c. l. utar*, ita instituebant, ut more veterum Academicorum, vel Scepticorum, nihil deciderent, ac determinarent, aliisque *quodlibet horum*, seu alter utram, quam vellent, sententiam libere impugnandi potestatem facerent ⁱ⁾. Methodus autem disputandi, qua *Quodlibetarii* hi *academici* usi sunt, non sine ratione ac veri similitudine ex *Quaestionibus Quodlibetalibus* seu *Quodlibetis* famosis, quae barbara Scholasticorum cohors exclusit, colligi potest, quorumque ingens copia typis in vulgus iam edita est, multo autem plura in Bibliothecis, in primis Monasteriorum, manu adhuc scripta latentia, ibi cum pulvere, tinea blattisque pugnandum habent, nec hoc immerito, quia scitent

- ⁱ⁾ Ab hac harum disputationum descriptione haud multum abludivit earum definitio, quam invenias in *Dictionaire Encyclopedique*, v. *Quodlibetaire*, quam adferre operae pretium duco: *Quodlibetaire*, ou *Quodlibetique Question*, terme usité parmi les philosophes du douzieme et du treizieme siecles, pour signifier une these ou un probleme, qu'ils proposoient à discuter, plutot par curiosité et par forme d'exercice, que pour approfondir des matieres utiles, et parvenir à l'éclaircissement de quelque verité. Ces questions étoient ordinairement vagues, generales, conçues toute fois en termes scientifiques. On y accumuloit beaucoup d'arguments pour démontrer, ou une subtilité puerile, ou une chose d'ailleurs incontestable; et comme il n'y avoit point de matiere, quelque sterile ou quelque legere qu'elle fut, sur laquelle à l'aide des lieux communs on ne put discourir; on nomme ces questions *quodlibetaires* du mot latin *quodlibet*, tout ce qu'il vous plaira, parce qu'en effet il n'étoit rien qu'on ne se crut capable de traiter par cette methode.

ineptis abstractionibus, ut Dialectici loquuntur, frivolis idearum subtilitatibus, nimisque curiosis quaestionibus, licet haud negandum sit, inter mille inutiles tricas et quisquilias, tamen egregias in iis forsan deprehendi posse observationes. Unde cel. BRUCKER l. c. pag. 891. recte cum magno LEBNIZIO *k*) in votis habet, ut vir quidam, accurate doctus, et scholasticae Philosophiae, aequae ac recentioris peritus, ex hoc stercore aurum colligat, persuasissimus, non contemnendum egregiarum observationum fasciculum ita posse comprehendi.

Adhuc foret haec quaestio, utrum NICOLAUS THEODORICI de AMSTERDAM et IOH. LAMSIDE, qui in pictura *Gryphiswaldensi Quodlibetarii* vocantur, et quidem ille *Rostochiensis*, hic autem *Gryphicus*, in Ordinem seu Classem Theologorum, an Philosophorum sint referendi, decidenda; sed haec quaestio est tam intricata, densisque obvoluta tenebris, ut vix certum quid de ea statuere possimus: nec repugnarem, si quis hanc ipsam *Quaestionibus Quodlibetalibus*, seu *Quodlibetis*, adnumerare veller, quoniam de ea in utramque partem disserere licet, idque in primis ideo, quia nec TRIBECHOVIUS suo in libro, iam supra laudato, de *Doctoribus scholasticis*, nec CONRINGIUS in suis *dissertationibus de Antiquitatibus academicis*, harumque novus editor HEUMANNUS, ullam de *Quodlibetariis academicis* mentionem fecerunt, sed potius istos ignorant, deque iis silent. Huc accedit, quod barbara Scholasticorum turba *Quodlibeta*, ad quae disputationes suas *Quodlibetales*, ut iam monuimus, *Quodlibetarii academici* conformabant, tam *theologici*, quam *philosophici* argumenti conscripserint, etsi illa numero haec vincant *l*), et quod NICOLAUS THEOD. de AMSTERDAM et IOH. LAMSIDE non solum in *Theologia* primo honoris gradu, quem

Bacca-

k) *Essais de Theodicée T. I. p. 7.* „Cependant il faut avouer avec l'incomparable Grotius, qu'il y a quelque fois de l'or caché sous les ordures du latin barbare des Moines, ce qui m'a fait souhaiter plus d'une fois, qu'un habile homme, que sa fonction eut obligé, d'apprendre le langage de l'Ecole, eut voulu en tirer ce qu'il y a de meilleur — Ce seroit un Ouvrage tres — curieux et tres — important.“

l) BRUCKER in *Historiae criticae Philosophiae T. III. et I. A. FABRICIUS L. IV. Bibliothecae Latinae mediae et infimae aetatis* adferunt quaestiones *Quodlibetales*.

Baccalauri axioma vocant, decorati, sed etiam *Philosophiae* Professores fuerint, hincque iis licuerit, in utroque harum disciplinarum orbe disputationes habere.

Sed tamen magis me inclino ad sententiam eorum, qui putant, istos viros *disputationes quodlibetales*, de *Philosophia* depromtas, habuisse, et alumnos, suae fidei concreditos, in iis exercuisse, ac praecipue eam ob rationem illi coniecturae accedo, quoniam adhuc in *Academia Oxoniensi*, quae a patribus tradita instituta servat quam strictissime, eaque plus iusto colit, Candidati, Magistri honores ambientes, ex lege vetusta, eiusmodi *disputationes quodlibeticas* habere, iisque interesse debent, id quod testantur H. L. BENTHEM *m)* et WENDEBORN *n)*, ad quos auctores testesque locupletes fideque dignissimos, compendium temporis et chartae facturus, lectores iam remittam.

m) *Engländischer Kirch- und Schulen- Staat*, pag. 479.

n) *Zustand von Großbritannien T. IV. pag. 228. seq.* Doctissimi Viri verba adferam: *Besonders erfordern die Statuten der Universität, dass einer, der Magister werden will, den sogenannten Disputationibus Quodlibeticis beizubehne. Diese Quodlibet Disputationen sind solche, da ein Baccalaurus, der sich zur Würde eines Magisters erheben will, auf das Rostrum, oder den Catheder steigt, und jedem Opponenten, der eine Frage aufwirft, und willkührliche Einwürfe dagegen macht, zu antworten verbunden ist. Auctor quoque $\sigma\tau\alpha\gamma\epsilon\alpha\phi\iota\alpha\upsilon$ eiusmodi disputationis quodlibeticae adiunxit suae narrationi, quae vere Oxonii habita esse fertur, tam autem ridicula est, ut scurris, quam vitis doctis gravibusque, dignior censenda sit.*



3. Mai 1954



Baccalauri axioma vocant, decorati, et
fessores fuerint, hincque iis licuerit, in
orbe disputationes habere.

Sed tamen magis me inclino ad ferre
istos viros *disputationes quodlibetales*, de
buisse, et alumnos, suae fidei concreditos
cipue eam ob rationem illi coniecturae acci-
demia Oxoniensi, quae a patribus tradi-
ctissime, eaque plus iusto colit, Candidat
tes, ex lege vetusta, eiusmodi *disputa-*
iisque interesse debent, id quod testantur
WENDEBORN n), ad quos auctores
dignissimos, compendium temporis et
iam remittam.

m) *Engländischer Kirch- und Schulen- Sa-*

n) *Zustand von Grosbritannien T. IV.*
verba adferam: *Besonders erfordern da-*
einer, der Magister werden will,
Quodlibeticis heimobne. Diese Quodli-
ein Baccalaureus, der sich zur Würde
das Rostrum, oder den Catheder ste-
eine Frage aufwirft, und willkürbrlich
antworten verbunden ist. Auctor
disputationis quodlibeticae adiunxit su-
habita esse ferrur, tam autem ridicula
gravibusque, dignior censenda sit.

philosophiae Pro-
disciplinarum

m, qui putant,
depromptas, ha-
uisse, ac praec-
adhuc in Aca-
ervat quam stri-
onores ambien-
beticas habere,
ENTHEM m) et
upletes fideque
urus, lectores

Doctissimi Viri
Universitat, dass
Disputationibus
nen sind solche, da
erheben will, auf
Opponenten, der
gegen macht, zu
quodlibet eiusmodi
quae vere Oxonii
quam viris doctis

